



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 113. Vtrum creare sit ex nihilo aliquid facere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

12. Aduertit secundò, quod omnis creatura intendit participare aliquam similitudinem perfectionis, ac bonitatis diuinæ, ideoque intendit diuinam bonitatem, & perfectionem ut participabilem. Videri possunt, quæ de causa finali diximus; quæst. 16, Physi-
cæ.

13. Ad 1. distinguo minorem: creaturæ non possunt esse similes Deo perfectè, & vniocè, concedo; non possunt esse similes Deo imperfectè, & analogicè, ac cum infinita quadam dissimilitudine, nego minorem; & nego consequentiam. Licet creaturæ non possint esse similes Deo perfectè, & vniocè, tamen possunt esse similes Deo imperfectè, & analogicè, & cum infinita quadam dissimilitudine: hæc autem analogica similitudo sufficit, ut Deus sit exemplar, ad cuius imitationem fiunt creaturæ. Dum Psal. 34. dicitur, *Deus quis similis tibi?* negatur creaturam posse esse similem Deo perfectè, & vniocè, non negatur posse esse similem Deo imperfectè, & analogicè. Talis similitudo affirmatur, dum 1. Io: 3. dicitur: *Similes ei erimus, quia videbimus eum, facti est.*

14. Ad 2. nego, quod primum exemplar debeat esse eiusdem speciei cum rebus, quæ fiunt ad similitudinem talis exemplaris. Sicut igitur entia creata reducuntur ad primam causam efficientem increatam, ac proinde non eiusdem speciei, sed infinitè excedentem, sic reduci debent ad primum exemplar increatū, ac non eiusdem speciei, sed infinitè excedens, & participabile à creaturis secundum diuersos gradus.

15. Ad 3. distinguo maiorem; scientiæ, ac definitiones non sunt de singularibus, sed de generibus, & speciebus à singularibus abstractis, & separatis à parte rei, nego; abstractis per intellectum, concedo; & nego consequentiam. In logica quæst. 27. & seq. de vniuersalibus dictum est species, ac genera non esse separata, & abstracta à singularibus à parte rei, sed per intellectum.

16. Ad 4. Dionysius dicens ipsum per se esse, prius esse, quam per se vitam esse, & per se sapientiam esse, loquitur de prioritate rationis, & per intellectum, quo cognoscentes Deum ad similitudinem creaturarum, distinguimus in Deo per se esse, à per se vitam esse, & à per se sapientiam esse, ac proinde distinguimus in Deo varia exemplaria per ordinem ad effectus creatos, cum verè in Deo omnia sint idem.

17. Ad 5. distinguo maiorem; ideo agentia creata, & imperfecta agunt propter finem, quia indigent fine, concedo; ideo agens omnino perfectum agit propter finem, quia indiget fine, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Agentia imperfecta ideo agunt propter finem, quia indigent fine ad suam perfectionem acquirendam. At Deus, quia est agens perfectum, & habet in se ipsum finem, & omnia bona, ac omnes perfe-

ctiones, ideo agit propter finem, quia vult communicare suam bonitatem, & perfectionem actione purè liberali.

18. Ad 6. distinguo maiorem: finis qui actionis non est ipsum agens, transeat: finis cui actionis non est ipsum agens, nego. Finis cui actionis est ipsum agens etiam in creatis: e. g. dum Angelus intelligit, finis cui actionis intellectiua est ipse Angelus; & quia finis cui est principalior finis qui, siquidem finis qui ordinatur ad finem cui, ideo ipsum agens est finis principalis actionis, præsertim in Deo, qui omnia agit, ut communicet suam bonitatem, & perfectionem, & ut diffundat suam similitudinem.

19. Ad 7. nego minorem, ac dico, quod omnia appetunt Deum, siquidem appetunt participare diuinam perfectionem, & bonitatem: sed quæ habent intellectum appetunt Deum appetitu intellectiuo elicitò; quæ Deum non cognoscunt, appetunt Deum, ac diuinam similitudinem, ut participabilem appetitu purè innato.

20. Ad 8. distinguo maiorem: causa finalis, in quantum conuenit Deo, est prima omnium causarum à parte rei, nego: ratione nostra, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus est simul prima causa finalis, exemplaris, & efficiens omnium rerum creatarum, ideoque causa finalis, exemplaris, & efficiens, in quantum dicuntur de Deo, non distinguuntur, nec vna est prior altera. Sicut autem possunt distingui ratione nostra, sic vna est prior altera ratione nostra.

QVÆSTIO CXIII.

Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere?

S. Th. qu. 45. art. 1.

1. **V**idetur, quod creare non sit ex nihilo aliquid facere: primò quia particula ex importat habitudinem alicuius causæ, ac præsertim materialis; sed causa præsertim materialis non potest esse nihil, sed debet esse ens: ergo creare est facere aliquid ex aliquo ente, & non ex nihilo.

2. Secundò creatio est actio omnium nobilissima; sed si creatio esset productio ex nihilo, non esset nobilissima actionum: ergo. Probatur minor: nam actio, & motus desumunt suam perfectionem, & nobilitatem à terminis: ergo nobilior est actio ex aliquo in aliquid, puta ex ente in ens, & ex bono in bonum quam actio ex nihilo in aliquid.

3. Tertiò ut arguit Scotus, quæcumque creantur, prius habent esse possibile, & intelligibile in mente Dei: ergo non creantur omnino ex nihilo.

4. Respondeo, quod creatio dicitur multipliciter. Primò creari dicitur, cum quis pro-

mo.

motetur ad aliquem gradum dignitatis, puta ad Episcopatum, & dicitur creari Episcopus. In hoc sensu, vt docet S. Thomas hoc art. 1. in resp. ad 1. creationem sumpsit S. Augustinus lib. contra Aduersarium legis, & Prophetarum, dicens: *Facere est quod omnino non erat; creare vero est ex eo, quod iam erat, educendo aliquid constituere.* Secundo creatio à Scriptura, & Sanctis Patribus sumitur pro renouatione, & regeneratione spirituali, vt notauit Basil. in Psal. 32. in illa verba, *ipse mandauit, & creata sunt* & Homil. *quod Deus non est auctor malorum.* Ratio est, quia in eo genere fit productio quædam moralis ex nihilo, hoc est nullis precedentibus meritis, per misericordiam Dei. Ideo ad Eph. 2. dicimur, *creati in Christo in operibus bonis*, & cap. 4. dicitur *homo nouus secundum Deum creatus*, & ad Gal. 5. *noua creatura.* Tercio creatio physica dicitur productio rei ex nihilo, hoc est ex nullo ente. Explicatur. Nam particulares productiones non fiunt ex non ente, sed ex non tali ente: e.g. homo non fit ex non ente, sed ex non homine, & ex aliquo ente, quod præsupponitur vt materia generationis: ignis non fit ex non ente, sed ex non igne, & ex aliquo ente, puta ex lignis. At si consideretur prima productio rerum, qua mundus factus est à Deo, fuit ex non ente, cum nullum præcesserit ens productionem primi entis participati; ergo fuit ex nihilo, & hanc dicimus creationem, ac proinde, creatio est productio alicuius ex nihilo.

5. Contra hanc communem doctrinam, Scotus in 2. dist. 1. quæst. 1. relatus à Vasquez 1. parte disp. 172. videtur docere creationem esse quidem productionem ex nihilo essentiae, & existentiae, sed non esse productionem ex nihilo entis etiam diminuti, siquidem quæ creantur, supponuntur habere esse intelligibile in mente diuina, esse volitum in diuina voluntate, & esse possibile, quod putat esse quoddam ens diminutum. Eandem doctrinam videtur secutus Vuicleffus, qui vt refert Vualdensis tom. 1. Doctrinalis fidei antiquæ, art. 1. cap. 17. apud eundem Vasquez, definiebat creationem, dicens: *creatio est productio de puro esse intelligibili, & ideali ad esse essentiale extra Deum.* Addebat Vuicleffus illud esse intelligibile, & ideale non esse omnino nihil, ac Deum non posse creare ex nihilo omnino.

6. Contra hanc doctrinam est, quia dum dicitur creationem non esse ex nihilo omnino, per ly *nihil omnino* vel intelligitur non ens non solum actu, sed etiam potentia, quod proinde non est possibile, & est essentialiter nihil; & in hoc sensu nemo est, qui dicat creationem esse productionem ex omnino nihilo, hoc est ex eo, quod non est possibile, neque est qui dicat Deum posse in hoc sensu creare ex omnino nihilo. Verum auctores dum dixerunt creationem esse productionem ex nihilo, non sumpsērunt omnino nihil in hoc sensu, pro non possibili. Vel asseritur, quod res non producantur ex omnino nihilo, quia suppo-

nuntur res in statu possibilitatis, quæ possibilitas sit quoddam ens diminutum distinctum à Deo, vt censet Scotus; & contra est, quia non dantur hæc entia diminuta, vt ostendimus in Logica quæst. 46. & 47. de possibili, & impossibili. Vel asseritur res produci ex illo esse intelligibili, & ideali, quod habent in Deo; & contra est, quia non potest dici, quod illud esse, quod cum Deo identificatur, habeat rationem materiæ, aut partis componentis: sequeretur enim, quod creaturæ constarent ex Deo, tanquam ex materia, vel parte, aut quasi parte componente: ergo solum potest dici, quod creaturæ fiunt ex illo esse, tanquam ex causa efficiente, vel ideali, ac proinde valde æquiuocè sumitur particula *ex*. Vel asseritur, quod res fiunt ex illo esse purè possibili, reducendo illud in actum: & contra est, quia illud esse purè possibile est nihil entis; ergo eo ipso res fiunt ex nihilo entis.

7. Ad 1. particula *ex* licet sæpè importet habitudinem alicuius causæ præsertim materialis, vt cum dicitur statua fieri ex marmore, tamen non raro importat ordinem, & successionem vnus post aliud: ex.gr. cum dicitur, quod ex mane fit meridies, significatur, quod post manè fit meridies. Dum ergo asseritur, quod creatio est productio ex nihilo, particula *ex* significat, quod creatio est productio, ante quam res erat nihil, & non ens, ita vt nihil eius esset. Addo, quod iuxta sententiam docentem mundum potuisse esse ab æterno, ad creationem sufficit, vt sit productio, antè quam non quidem tempore, sed natura res non erat præcisiuè, ita vt dependenter à diuina productione res acquirat totum esse. Mundus ergo si fuisset conditus ab æterno, fuisset creatus ex nihilo, quia fuisset creatus, nullo alio ente supposito, & per actionem, per quam accepisset totum suum esse, & non solum partem sui esse.

8. Ad 2. nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem; actio, & motus desumunt suam perfectionem, & nobilitatem à termino *ad quem*, concedo; à termino *à quo*, nego; & nego consequentiam. Actiones, & productiones desumunt suam perfectionem, & nobilitatem à termino *ad quem*, non à termino *a quo*: e. gr. generatio, qua producit substantia, est nobilior alteratione, qua producit qualitas, quia forma substantialis, quæ est terminus *ad quem* generationis substantialis, est perfectior qualitate, quæ est terminus *ad quem* alterationis, licet priuatio formæ substantialis vt potè melioris, sit imperfectior priuatione formæ accidentalis, seu qualitatis, quæ est minus bona: ergo proportionaliter creatio, qua producit totum ens, est perfectior generatione, qua non producit totum ens, sed supponitur subiectum, seu materia existens.

9. Ad 3. distinguo consequens: ergo quæ creantur, non creantur ex nihilo, si particula *ex* sumatur ita, vt dicat respectum ad causam effici-

efficientem, concedo: ita ut particula ex de-
notet respectum ad partem rei, ac significet rem
non produci ex illa sui parte præsupposita,
concedo. Vide dicta num. 6.

QVAESTIO CXIV.

Virum Deus possit aliquid creare?

S. Th. qu. 45. art. 2.

1. **V**idetur non posse, primo, quia fuit axioma receptum ab antiquis philosophis, ut refert Aristot. 1. Physic. tex. 34. quod ex nihilo nihil fit: sed Deus non potest facere aliquid repugnans primis principiis, puta non potest facere totum, quod non sit maius parte; ergo Deus non potest creare, hoc est facere aliquid ex nihilo.

2. Secundo per creationem quod creatur, deberet fieri, ac proinde mutari; sed omnis mutatio est ex subiecto, ideoque motus definitur actus existentis in potentia; ergo.

3. Tertio quod factum est, aliquando debet fieri; sed quod creatur, aliquando factum est; ergo debet aliquando fieri; sed non potest eodem tempore fieri, & factum esse: ergo prius sit, quam factum sit; sed fieri supponit existere subiectum, in quo sustentetur: ergo creatio supponit subiectum, ac proinde non est productio ex nihilo, ac creatio non est creatio, & consequenter repugnat.

4. Quarto impossibile est pertransire distantiam infinitam; sed inter ens, & nihil, datur infinita distantia: ergo impossibile est, ut res aliqua ex nihilo transeat ad esse.

5. Respondeo, quod necesse est asserere, omnia distincta à Deo creata fuisse à Deo. Ex dictis enim qu. 111. omnia, quæ sunt, & non sunt Deus, sunt à Deo, tanquam à causa efficiente: sed causa efficiens, quæ non producit res ex nihilo, producit res ex aliquo subiecto ab ipsa non facta, eo modo, quo ars producit res ex materia ab ipsa non facta, sed accepta, à natura, ac etiam natura producit res ex materia, quam natura non facit, sed præsupponit: ergo si Deus non creasset omnia, produxisset res ex aliqua materia à Deo non facta, quod est contra iam dicta, nimirum quod omnia, sint à Deo, tanquam à causa efficiente. Deus igitur creavit omnia, quæ sunt, in quantum omnia produxit, non ex aliquo subiecto præsupposito, sed omnino ex nihilo.

6. Dices: Deus primis sex diebus creationis mundi multa, nimirum plantas, animalia, & hominem produxit ex materia elementari præsupposita; ergo illa non creavit, ac proinde non creavit omnia.

Respondeo, distinguo antecedens: produxit ex materia præsupposita, quæ non fuerit ab ipso Deo producta omnino ex nihilo, nego: quæ fuerit ab ipso Deo producta omnino ex nihilo, concedo: & distinguo consequens; ergo non creavit omnia, vel formali-

ter, vel præsuppositivè; nego: formaliter, transeat. Deus omnia produxit, vel immediatè, & formaliter ex nihilo, puta cælum, terram, & elementa, vel ex materia ab ipso producta ex nihilo; ergo omnia creavit vel formaliter, vel præsuppositivè, ut magis explicabitur infra, cum agetur de opere sex dierum.

7. Ad 1. distinguo maiorem: fuit axioma philosophorum considerationem emanationem, qua res emanant à primo, & universalissimo principio, quod ex nihilo nihil fit, nego: considerationem emanationem particulares, qua emanant à suis causis particularibus, concedo maiorem: concedo minorem; & nego consequentiam. Axioma illud ut sit metaphysicè evidens, & necessarium, debet intelligi de emanationibus particularibus, quibus res fiunt à suis causis particularibus, tum artificialibus, tum naturalibus. Nam ars non potest quicquam facere, nisi ex materia accepta à natura: natura non potest quicquam facere, nisi ex materia accepta ab auctore naturæ. At non potest procedi in infinitum, sed debet tandem perveniri ad primum auctorem naturæ, & ad primum principium omnium factorum, quod proinde possit omnia producere ex nihilo, cum materiam rerum faciendarum non possit accipere ab aliquo superiori principio.

8. Ad 2. distinguo maiorem: per creationem quod creatur debet mutari mutatione propriè dicta, nego: mutatione impropria, & secundum modum intelligendi, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Mutatio propriè dicta est, per quam aliquid idem aliter se habet nunc, ac prius: e.g. per alterationem subiectum idem, ac retinens eandem actualitatem, aliter se habet nunc, ac prius, ita ut si prius erat calidum, nunc sit frigidum &c. per generationem substantialem materia prima remanens eadem secundum potentiam, sed iuxta sententiam. Sancti Thomæ non retinens eandem actualitatem, quam habet à forma, aliter se habet nunc, ac prius, ita ut si prius habebat formam ligni, deinde habeat e.g. formam ignis; sed per creationem nullum est subiectum, quod aliter se habeat nunc, ac prius, sed totum ens, quod ante non erat, acquirit esse; ergo creatio non est propriè mutatio. Quia tamen concipimus rem, quæ creatur, per creationem transire à totali non esse ad esse, concipimus illam per modum cuiusdam mutationis.

9. Ad 3. concedo maiorem, minorem, & consequentiam primi argumenti, ac nego assumptum, quod nimirum non possit quod creatur simul fieri, & primo factum esse. Nam quæ fiunt sine motu, & successione, simul fiunt, ac primo sunt facta, ac fieri nihil aliud in ijs est, quam ita ipsa esse nunc, ut non fuerint immediatè ante. Mundus ergo creatus, & factus est per hoc, quod primo fuerit, cum ante non esset, adeoque in primo instanti suæ creationis fiebat, & primo fuit factus.

10. Ad